

SCRIPTA

Numéro Scripta : 3640

Auteur(s) : Rouen (maire)

Auteur(s) : « cives » de Rouen [ville]

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1262, novembre

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Le maire et les habitants de cité (cives) de Rouen reçoivent de Louis [IX], roi de France, à ferme par la rente annuelle de 3 000 livres tournois, tous les moulins de Rouen et de Déville et un vivier de Martinville avec toutes leurs dépendances.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Delisle Léopold, *Cartulaire normand de Philippe-Auguste, Louis VIII, Saint-Louis et Philippe le Hardi*, Caen, Hardel (MSAN ; 16, 2e série, 6, p. 160-390), 1852, n° 688, p. 144-145.

Texte établi d'après a

Universis presentes litteras inspecturis, major et cives Rothomagi, salutem in Domino. Notum facimus quod nos ab excellentissimo domino nostro Ludovico, Dei gratia, rege Francorum ad firmam perpetuam recepimus pro tribus milibus libris turonensium, eidem integre a nobis annuatim in duobus terminis persolvendis, videlicet medietate ad scacarium Pasche et alia medietate ad scacarium Sancti Michaelis, omnia molendina sua de Rothomago et de Daievilla, cum suis juribus et honeribus, sicut ab archiepiscopo Rothomagensi habuerat in locis predictis cum vivario de Martinville cum suis aliis aquis molendinorum predictorum, cum redditibus, redeventiis, justiciis et libertatibus spectantibus ad vivarium et aquas et molendina supradicta ; Item mercatum suum de Rothomago quod vocatur mercatum de Veteri turre, cum halla ad telas, cum omnibus edificiis, caiis, plateis, gardinis, redditibus, justiciis, pertinentiis et omnibus aliis redeventiis spectantibus ad mercatum antedictum et ad hallam ad telas antedictam, et hec omnia antedicta nobis concessit et tradidit cum omni libertate et dominio que in dictis locis habebat sive habere posset, exceptis omnibus aliis que spectant ad vicecomitatum aque Rothomagensis, et que per vicecomites aque recipi consueverunt, que omnia penes se retinet, preterquam hallam ad telas quam nobis tradidit, sicut superius est expressum, nec ipse nec heredes sui de cetero poterunt facere seu edificare alia molendina, nec aliud mercatum, nec alias hallas in Rothomago vel in banleuca Rothomagi, nec apud Daievillam. Et sciendum est quod nos et heredes seu successores nostri predictam firmam non poterimus dimittere nisi sue vel heredum suorum placuerit voluntati, nec debet nobis ad edificandum seu reparandum predicta in boscis seu forestis suis aliquid reperire. Hec autem sola sunt concessa nobis, salvo jure in omnibus alieno, retento eidem placito spate cum pertinentibus ad placitum supradictum in omnibus supradictis nobis traditis ab ipso, in quibus ea tempore tradicionis hujusmodi habebat, et forefacturis mobilium et heritagiorum, si evenerint ibidem, ita eciam quod Rothomagensis archiepiscopus habeat moltam suam, tam pro hospicio suo quam pro se, ubicunque Rothomagi fuerit, vel apud Daievillam vel alibi prope Rothomagum in loco eque distanti, ita videlicet quod post bladum quod fuerit in tremuia, veniente nuncio vel serviente archiepiscopi ad molendinum, primo et immediate sua moltura libere compleatur, nisi forsitan serviens ballivi domini regis vel custodis castri sui Rothomagi prius venisset ad ipsum

molendinum quam nuncius seu serviens dicti archiepiscopi, qui ballivus vel custos castri predicti aut ejus serviens, tunc scilicet cum prius venerit, in moltura preferetur. Et bladum suum in dictis molendinis molent in perpetuum libere sine molta. In cuius rei testimonium et munimen, presentes litteras sigillo communie urbis Rothomagi fecimus roborari. Actum anno Domini M° CC° sexagesimo secundo, mense Novembri.